

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Disputatio Controversistica qua Realis Ac Substantialis praesentia corporis & sanguinis Domini in Evcharistia

**Baldinger, Bernhart
Stucki, Johann Rudolf
Heidegger, Johann Heinrich**

1669

Caput IX.

[urn:nbn:de:bsz:31-162645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-162645)

Christi species elementorum (non intellectu credentis) mutari.

2. Fides non minus excitatur Baptismo aut concione, quam Eucharistia: sed Patres nec Baptismo, nec concioni tale quid tribuunt, quale Eucharistia: huius verò disparitatis non potest assignari alia ratio, quam quia Patres agnoscunt in Eucharistia aliquid peculiare, nempe mutationem realem panis & vini, quod non agnoscunt in Baptismo & concione.

Porro Patres, quando loquuntur de mutatione Eucharisticâ, respexerunt non ad illa Scripturarum loca, quæ imperinenter adducit Stuckius, sed ad illa, quæ enarrant creationem mundi, conversionem virgæ in serpentem, fluvialis aquæ in sanguinem, aquæ in vinum, & alias similes mutationes miraculosas, uti manifestum est ex litterâ.

C A P U T IX.

AFFERUNTUR TESTIMO-

nia SS. Cyrilli, Ambrosij. Chrysostomi & Hilarij.

Patres laborant, ut persuadeant fidelibus, in hoc mysterio non esse credendum

dendum sensibus, sed Christi verbis; & hunc articulum proponunt ut creditu difficillimum, & ideo Christi authoritatem & omnipotentiam exaggerant: sed hoc non facerent, nisi nobiscum sentirent: ergo &c. Audieos.

S. Cyrillus, Hier. catech. 4. sic ait: Cum igitur Christus ipse sic affirmet atque dicat de pane: Hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? Atque eodem confirmante & dicente: Hic est sanguis meus, quis, inquam, dubitet & dicat, non esse illius sanguinem? Aquam aliquando mutavit in vinum, quod est sanguini propinquum, in Canâ Galilee solâ voluntate; & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutavit? Si enim ad nuptias corporeas invitatus, stupendum miraculum operatus est, nonne multò magis & sanguinem suum filijs sponsi dedisse illum consuebimur? Quare cum omni certitudine corpus & sanguinem Christi sumamus. Nam sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur sanguis. Ne ergo consideres tanquâ panem nudum & vinum nudum. Quamvis enim sensus hoc tibi suggerat, tamen

tamen fides te confirmet, ne ex gustu rem
judices: quin potius habeas ex fide pro
certissimo, ita ut nulla subeat dubitatio,
esse tibi donata corpus & sanguinem. Hoc
sciens & pro certissimo habens, panem
hunc, qui videtur à nobis, non esse panem,
etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse
corpus Christi: & vinum, quod à nobis
conspicitur, tamen si sensui gustus vinum
esse videatur, non tamen vinum, sed san-
guinem esse Christi.

S. Ambrosius l. 4. de Sacram. c. 5.
sic ait: Ipse Dominus Iesus testificatur no-
bis, quod corpus suum accipiamus & san-
guinem: nunquid debemus de eius fide &
testificatione dubitare?

S. Chrysostomus hom. 83. in Matt.
Credamus ubique Deo, nec repugnemus
ei, tamen si sensui nostro & cogitationi ab-
surdum esse videatur, quod dicit: Su-
peret & sensum & rationem nostram ser-
mo ipsius; quod in omnibus & precipue
in mysteriis ita faciamus, non illa, qua
ante nos jacent, solummodo aspicientes,
sed verba ejus quoque tenentes. Nam
verbis ejus defraudari non possumus; sen-
sus verò noster deceptu facilissimus est. illa
falsa

falsa esse non possunt, hic sapius atque sapius fallitur. Quoniam ergo ille dixit: Hoc est corpus meum, nullâ teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus.

S. Hilarius l. 8. de Trinit. De veritate carnis & sanguinis non relictus est ambigendi locus: nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostrâ verè caro est, & verè sanguis est.

Dices: Illo modo loquendi significari nil aliud, quàm non esse attendendum ad panem, sed ad id, quòd per illum significatur.

Sed contrà est 1. quia Patres expressè asserunt, Evcharistiam esse corpus Christi, eo quòd verba Christi id asserant, nullâ factâ mentione significationis: cur ergo non insistamus expressis illorum verbis? cur astruamus id, de quo illine **COGITARUNT** quidem?

2. Id, de quo Patres loquuntur, est creditu difficillimum, superâtque & sensum & rationem, ut propterea ad superandam credendi difficultatem necesse sit exaggerare veracitatem & omni-

omnipotentiam Christi, & fideles seriò
monere, ut nō credant sensibus: At pa-
nem esse signum Corporis Dominici
non est tanta credendi difficultas, ut
prædictis sit opus documentis & mo-
nitis. An enim propter hederam ædi-
bus præfixam tam seriò moneantur
omnes & singuli cavere, ne sensibus
credant, itaque decipiantur? Ergo
panem esse signum corporis Dominici
non est illud, de quo Patres loquuntur.

3. Cur, quæso, Patres non dicunt,
aquam Baptismi non esse aquam, quam
sensus suggerit, sed esse Spiritum San-
ctum? Cur non jubent fideles cavere
à suggestionem sensuum? Cur aliter lo-
quuntur de Eucharistiâ, quàm de Bap-
tismo?

C A P U T X.

EXPENDUNTUR LOCA

*SS. Chrysostomi, Augustini, Am-
brosij, & Tertulliani.*

PATRES dicunt, beneficio Eychari-
stiaë terram fieri cælum, Corpus
Christi capi & gestari manibus fide-
lium,